

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4199

Auteur(s) : Louis IX, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Gruchet-le-Valasse, Notre-Dame du Vœu du Valasse (abbaye)

Genre d'acte : vidimus

Authenticité : non suspect

Datation : 1258, décembre

Lieu d'émission : Vincennes

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Louis [IX], roi de France, vidime et confirme la charte du chevalier Robert d'Esmalleville, par laquelle le chevalier a vendu à l'abbé et aux moines de Notre-Dame du Vœu toutes ses possessions à Houquetot pour 40 livres tournois.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1216, p. 336-337.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod nos litteras Roberti de Esmalleville, militis, suo sigillo sigillatas, vidimus in hec verba :

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Robertus de Esmalevilla, milles, vendidi et concessi et omnino dereliqui viris religiosis domino abbati et conventui Sancte Marie de Voto, Cisterciensis ordinis, Rothomagensis diocesis, in liberam et perpetuam possessionem, pro quadragintis libris turonensium, de quibus predicti religiosi plenarie et pre manibus satisfecerunt michi in peccunia numerata, quecumque habebam vel habere poteram in parrochia de Houquetot de buticularia domini Gaufridi Martel, militis, videlicet in terris, in redditibus denariorum, bladi, caponum et ororum, cum aliis quibuscumque ad me ibidem pertinentibus, que omnia predicta ad valorem viginti quinque librarum turonensium vel circa, computatis simul et justo precio appreciatis omnibus, estimantur, percipienda et habenda predictis religiosis singulis annis per manus hominum predicta tenentium eisdem terminis quibus michi homines predicti reddere consueverant et satisfacere tenebantur. Hec autem omnia supradicta, a me vendita et concessa, tenenda predictis religiosis et perpetuo possidenda bene et in pace, feodaliter et hereditarie, ego predictus Robertus et heredes mei, quos ad hoc specialiter obligavi, sine reclamatione, contradictione vel aliquo impedimento in aliquo premissorum a nobis de cetero faciendo, predictis religiosis fideliter et liberaliter contra omnes garantizare et de omnibus impedimentis et obligationibus, excepto jure capitalium dominorum, quantum in nobis est, deliberare tenemur, per receptionem peccunie supradicte, nichil prorsus nobis aut posteris nostris retinentes. Quod ut ratum et stabile perpetuo valeat permanere, ego predictus Robertus presentem cartam sigilli mei munimine confirmavi. Actum anno Domini M° CC° LXVIII°. Testibus : domino Willelmo presbitero de Esmallevilla, domino Roberto presbitero de Fontibus, Willelmo de Esmallevilla, tunc armigero, Johanne Le Sesne, Johanne Coispel et pluribus aliis.

Item litteras dilecti et fidelis nostri, Gaufridi Martel, domini de Bakevilla, militis, suo et Willelmi Martel, militis, ipsius Gaufridi primogeniti, sigillis sigillatas, vidimus in hec verba :

Gaufridus Martel, dominus de Baskeville, miles, universis Xpisti fidelibus, tam presentibus quam futuris, presentis pagine noticiam habituris, sempiternam salutem in Domino Jhsu Xpisto. Noveritis me, de assensu et voluntate Willelmi Martel, militis, filii mei primogeniti et heredis, voluisse, concessisse et ratam habuisse totam illam vendicionem integre quam dominus Robertus de Esmallevilla, miles, fecit viris religiosis domino abbati et conventui Sancte Marie de Voto, Cisterciensis ordinis, Rothomagensis diocesis, in buticularia mea de Houquetot, in terris, redditibus et ceteris quibuscunque rebus ad ipsum ibidem pertinentibus, sicut in carta inde confecta plenius continetur, que videlicet omnia supradicta, a predicto Roberto predictis religiosis vendita et concessa, volui, rata habui et concessi, ut iidem religiosi habeant et possideant bene et in pace, feodaliter et hereditarie eodem modo quo predictus Robertus eadem ante de me tenebat, salvo nichilominus jure meo, ita tamen quod predicti religiosi predicta vendere vel extra manum ponere nullatenus compellentur. Et ut mee concessionis confirmatio rata et stabilis in perpetuum perseveret, ego predictus Gaufridus et predictus Guillelmus Martel, filius meus primogenitus, milites, presentem cartam predictis religiosis tradidimus sigillorum nostrorum auctoritate et testimonio confirmatam. Actum anno Gratie M° CC° LXVIII°. Testibus hiis : domino Roberto de Esmallevilla, domino Willelmo presbitero de Esmallevilla, Matheo preposito de Gauseville, Willelmo de Esmallevilla, tunc armigero, Willelmo de Petit, et pluribus aliis.

Nos autem predictas vendicionem et confirmationem, prout superius continentur, quantum in nobis est, concedimus et ratas habemus, volentes quod iidem religiosi abbas et conventus premissa tenere valeant et in perpetuum possidere sine coactione aliqua vendendi vel extra manum suam ponendi, salvis in omnibus juribus nostris et reddibentiis, si quas habebamus et habemus in rebus predictis, et salvo jure in omnibus alieno. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud Vicenas, anno Domini M° CC° LXVIII°, mense decembri.